



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Item aliud capitulum de purgatione sacerdotum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

ALIVD CAPITVLVM  
 DE PVRGATIONE SACERDOTVM

Datum, ut apparet, post tempus superioris Capitularis, eodem tamen anno, & ante synodum VVormatiensem.

*Vt Presbyteri criminosi ad synodum venientes in medio collocentur.*

Lib. V. Capitular. c. 379.

**P**resbyteros criminosos canonicè ad synodum venientes iubemus juxta decreta Papæ Innocentij capitulo xxxiii. in medio collocari; discussisque objectionibus quæ ipsi Presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, à sacerdotali removeantur officio, ( quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt ) atque alieni

efficiantur à ministerio quod vivendo illicitè polluerunt. Et si convinci non poterint, secundum anterius capitulum consultu Leonis Papæ & multorum Episcoporum statutum, cum aliis Presbyteris & fidelibus justisque hominibus satisfaciant Episcopo suo & populo.

ITEM ALIVD CAPITVLVM  
 DE PVRGATIONE SACERDOTVM

Datum sub finem anni dccciii. Aquisgrani, ut videtur, quò se consultisse Karolum Imperatorem post habitum Conventum VVormatiensem colligitur ex annalibus Francorum Merensibus.

*De purgatione sacerdotum, qualiter VVormatia secunda vice à Domno Karolo & à suis tractata atque sopita est.*

Lib. VII. Capitular. c. 281.

**O**mibus vobis tam presentibus quam & futuris scire cupimus quia ideo consultu sedis apostolicæ & omnium nostrorum Episcoporum ac reliquorum sacerdotum atque maximè cunctorum fidelium nostrorum de purgatione criminatorum sacerdotum tanta tractavimus, eamque cum testibus, sicut in antedicti Capitulari nostro continetur, fieri decrevimus, quoniam nesciebamus eandem causam à beato Gregorio Papa esse definitam. Nam cum Warmatia generale conventum habuissimus, adlata est nobis à Riculfo Mogonciacensi Metropolitano epistola beati Gregorij Papæ, in qua inter cetera continebantur hæc: *De Presbytero verò vel*

*quolibet sacerdote à populo accusato, si certi non fuerint testes qui crimini inlato non adprobent veritatem, iusjurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentie sue puritate cui nada & aperta sunt omnia; sicque maneat in proprio gradu. Ista verò omnia, quia vires nostras excedunt, in iudicio Episcoporum juxta canonicam sanctionem definienda relinquimus; ut hæc, quando orta fuerint, ita definire satagant ut nec secundum seculum justam reprehensionem nec penes Deum, quod absit, damnationem, sed æterna beatitudinis, ipso auxiliante qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.*

Gregor. II. epist. 7. c. 3.

